

PROOEMIUM.

Modus, quo opuscula inauguralia plerumque scribuntur, longe mihi abesse visus est a ratione, cur scriberentur. Medicus iuvenis, ad praxin iamiam se accingens, iubetur scriptum quoddam proponere, quo doceat, se iudicandi facultate, virtute medico practico per necessaria, non plane carere. Iam vero, ut medicus iuvenis munere ipsi demandato rite fungatur, eligit sibi argumentum, congerit anxie et perdiligenter anquirit res huc spectantes, ordine quodam disponit, et abunde fortasse demonstrat, se esse curiosum et sollicitum compilatorem, raro vero medicum se futurum prudentem. Quam a scopo et instituti ratione aberrationem evitare volui, licet *morbus niger Hippocratis* mihi idoneam praebuerit occasio-

A

nem,

nem, alieno studio et alieno iudicio utendi. Morbum igitur crassum tracto, haud quidem ita, ut integrum morbi descriptionem exhibeam, in qua omnia contineantur, quae scriperint auctores, quae observarint observatores. Tale enim institutum neque opusculi angustiis contineri potest, neque ad specimen exhibendum videtur esse necessarium. Legi quidem de morbo isto fere omnia, certe ea, quae potui, at ea tantummodo scripsi, quae cogitatione et iudicio subegeram. Graecos medicos adii, tanquam fontes, eorum decreta semper magni aestimavi, et ea praecipue in hac tractatione secutus sum; at dispersa et colligenda, et ordinanda erant; feci hoc lectione, quae iuveni competit; multa obscura elucidanda erant; hoc efficere allaboravi viribus iuvenilibus, quae rem perficere vetant. Haec tandem omnia feci, non eruditio variae ostendande causa, sed speciminis loco. Quare omisi scriptorum nomina, quae ad rem meam melius perspiciendam haud facere poterant, et quae lectionem mentiuntur, qua iuvenilis aetas potiri nequit, noluique cothurnis incedere, vel risui aliorum me exponere.

CAP.